

dam aetate & experientia ceteris praestantior, eum
in Confessione rursus erexisset, & ad gratuitam
remissionem peccatorum iuxta verba symboli,
Credo remissionem peccatorum, reduxisset, ita,
ut Lutherus animosior inde factus magna animi
letitia saepe repeteret illud canendo: O beata cul-
pa, quae talem meruisti redemptorem.

Hic non est praetereundum sceleratū menda-
cium Surij, cuius etiam demonē, qui ab initio men-
dax est, puduisse debet. Fingit ille, apparuisse in Lu-
thero quaedam, quae in monasterio de mali demonis
commercio suspectum eum reddiderint, illud in-
primis, quod cum aliquando in Missa diceretur
Euangelium de expulso surdo & muto demonio,
subito corruens exclamauerit, Non sum, non sum.

Hae manifesta mendacia, & peruersiones
paroxysmorum verè spiritualium, de quibus scur-
ra isti vel parum, vel potius nihil saltem imagi-
nari, nedum veri dicere possunt, responso non in-
digent. Quod autem addit iste, ipsum Luthe-
rum non semel in suis scriptis testari, se probè co-
gnitum habere diabolum, & plusquam frustum
vnum salis cum eo comedisse: id Lutherus spiri-
tu eo, qui proprius est sanctorum militum Christi
contra diaboli insultus, insidias, & incursiones
quotidie pugnantium & sentit & loquitur, quae
Surio & similibus prorsus ignota sunt omnia, imi-
tantibus